



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XL. Christus irridetur & exhibetur spectandus populo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

qui mutet me totum, faciâtque verum imitatore[m] Filii tui, ac ser-
vum tuum.

O Incolæ sanctæ ac cælestis civitatis, qui clarè videtis va-
lorem ac pretium spinarum Domini, & egestatem eorum, qui
non vivunt, neque gloriantur de illis! miseremini hujus pauperis,
peregrini, proscripti à vestra gloria, & qui procùl abest à simili-
tudine Domini. Impetrate mihi unum radium hujus lucis, qui
me illuminet, ut semper videam hanc veritatem & adorem; &
enam scintillam vestri amoris, ut eam semper amem ac sequar.
Amen.

Æ R V M N A X L.

Christus irridetur, & exhibetur spectandus
populo.

I.

Iudæi, ut Christum afficerent omni contemptu, *IESVS ut*
spinis coronatum in purpura cum arundine in manu *sic tunc Rex*
dextera collocârunt in medio, ut velut Rex fictitius *irridetur,*
haberetur ludibrio: quæ omnia gravissimum illi do-
lorem creârunt. Spinæ pûngebant: vestis tametsi purpurea, sua
tamen vetustate ac fœditate pudefaciebat: manus ligatæ monstra-
bant impotentiam; arundo vanitatem & inconstantiam. Virga
aurea, quam Reges gestare solebant, levata iram, demissa clemen-
tiam indicabat: per arundineum sceptrum Christi voluerunt osten-
dere, non esse, quod speraretur, vel timeretur ab hoc Rege. Sed
alia longè Spiritus sanctus, cujus nutu dirigebantur, per ea docere
nos voluit. Nam obsoleta chlamys coccinea significat, nihil tam
vile esse in Christo, quo non tegi possimus atque defendi. Si enim
quædam solo tactu fimbria vestimenti ejus liberata est subitò ab
infirmirate diuturna; quantò magis tota chlamys Domini juvabit
miseros, confugientes sub umbram illius? Corona licet rigidi &
inclementis metalli, multos tamen & magnos ei subjecit, qui inter
acerbissima quæque perstiterunt in fide & obsequio sustentati ac
sublevati ligatis manibus ejus. Cùmque ipse ut Rex peccatorum &
male-

maleficorum sit nobis propositus, certam spem facit, nos futuros ci-
ves ipsius in celo. Denique sceptrum non aliud magis convenie-
bat ei, de quo scriptum est, arundinem quassatam non confractu-
rum, sed consolidaturum. Nam cum nos, qui arundine quassatâ su-
mus infirmiores, ipse teneat sua dexterâ, securi sumus de ejus cle-
mentia, quâ supplebit omnem nostrum defectum & inanitatem, nisi
nos ejus regimini & obedientiâ subducamus. Hæc omnia docet
nos fides, quam Dominus in Ecclesia sua plantavit, & confirmavit
his irrisionibus Regiæ suæ potestatis; etsi non sine summis dolori-
bus & injuriis suæ divinæ personæ.

*Arundine
percutitur*

II. Domino in tam contemptibili figura collocato, visum
est carnificibus, pro delectamento, convocare totam cohortem,
quam conduxerant Judæi pro custodia, ne quis vi tentaret eum
eripere: cum ergo circumsteterissent in orbem, accedentes singuli,
flexo genu cum sarcasmo salutârunt eum, dicentes: Ave Rex Ju-
dæorum; & arundine de manu ejus acceptâ, percusserunt caput
ejus, renovando spinarum dolorem, exspuentes in eum, & alapas
adjungentes. Nemo autem assequetur cogitando, quàm contu-
meliosa dicta jecerit in eum lasciva & impudens gens ista, quos
cachinnos, quos gestus indecentes ac inconditos ediderit, habendo
Regem gloriæ pro stulto. Multi fuerunt, & unusquisque stu-
duit audacior & ingeniosior esse in excitando risu: contumelia,
puncturæ spinarum, percussiones capitis, alapæ, sputa sic densata
fuerunt, ut difficile sit statuere, an hæc non gravissima fuerit: ru-
mnarum passionis totius. Etenim singulæ tam fuerunt acerbæ,
ut in qualibet earum renovatæ fuerint omnes præcedentes, & sic
earum qualibet videri possit maxima & præcipua. Atque hoc
summam parit admirationem, usque adeo exsiccatos fuisse omnes
fontes humanæ & naturalis compassionis & pietatis, ut nullum
omniñò commoveret species Domini tam miserabilis, nisi ad ma-
jorem crudelitatem. Sed ita voluit ipse Dominus noster, ut Sa-
thanas per suos ministros effunderet in ipsum omnem iram, & fu-
rorem, quem nos merebamur nostris peccatis: sibi que reservavit
omnem misericordiam, quam negaturus nobis non est, quando
eam nuspiam alibi reperimus.

III. Ita

III. Ita spretum est Regnum Domini nostri; ita conculca-
 ta ejus regia ac divina persona, tanquam falsi Regis; ita abjectus
 est ille, cujus gubernatio sustentat cælum ac terram; qui sic ubi-
 que majestatem suam abscondit, ut melius posset pati pro nobis,
 & ejus inimici latiore campum haberent exercendi suas in eum
 injurias. Quia in Christo, & ejus inimicis pari passu ambulabant
 amor & odium. Hoc incitavit eos ad excogitandos modos illum
 vexandi. Amor evisceravit Christum desiderio satis patiendi, &
 promerendi nobis æterna bona suis tormentis. Sed malitia demum
 exhausta, perrupit suum furorem, & amor prævaluit, vicitque
 propriis mediis, quæ ad ejus extinctionem erant inventa: & cum
 hac victoria semper vivit ac triumphat regnum, quod illi pro fal-
 so habuerunt, ipse verò in æternum obtinet pro vero. Dicant,
 licet impii, quod volunt, & irrideant; verum tamen est, quod dī-
 cunt, vocantes eum regem Judæorum. Et sicut fides pro vero ac-
 cipit sententiam Caiphæ, licet mala mente prolatam, quod expedi-
 at Christum mori pro populo, ne omnes intereant: quod Spiri-
 tus sanctus ei suggestit, ille verò protulit ex odio & studio interfi-
 cendi Christum: ita eadem fides accipit pro vero, quod hi illu-
 dendo dixerunt Christum Regem Judæorum, & pro tali adorave-
 runt. Nam cum David nos etiam seriâ, & submississimâ cum ve-
 neratione dicimus: *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas*
salutes Jacob, hoc est, omnibus servis tuis. Neque enim divina
 veritas ideo minor est, quòd ore conscelerato prolata sit.

IV. Multum est, habere Deum pro Judice, justificante con-
 scientiam: quem enim is approbat, reprobari non potest: contra,
 parum juvat approbatio humana, secreto judicio Dei adverso.
 Servis Dei, qui spernuntur & laborant in mundo, si cùm silentio &
 patientia studeant assimilari huic divino Regi humiliato, suamque
 causam Deo committentes ei soli velint placere, æquum est, ut
 eadem, per quæ deprimuntur, vertantur in media exaltationis
 eorum; sciant modò se conjicere in brachia Dei & Regis sui, nec
 tempus nec modum ei præscribentes, quo juventur, contenti sive
 in hac vita fiat, sive potiùs in altera; in omni re sinendo se guber-
 nari à Deo, securi de ejus bonitate, quâ succurret, quando eis uti-
 lius,

lius, & ipsi gloriosius erit: neque interim deerit eis auxilio suo, ut amore sui possint omnia sustinere. Non ergo fidant sibi ipsis, neque Deo diffidant.

ECCE HOMO.

I.

Pilatus eum populo proponit, ut ad misericordiam moveat.

1022. 19. 4.

NEQUE hinc finis injuriarum. Pilatus abruptâ militum insolentiâ, Christum ad se vocatum, ac tam crudeliter habitum conspicatus, cohorrui primùm; deinde ratus idipsum suo proposito, eum liberandi, fore idoneum, statuit eum populo spectandum exhibere, nihil dubitans tam miserabili specie vel saxa commo-
venda ad misericordiam: ideo dixit: *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam*: & eo jam producto cum spinea corona & purpureo vestimento, ait: *Ecce homo*. Videte, an hic talis regnum possit affectare, an seditionem concitare: quis enim ab eo poterit deludi? quis aliquid ab eo timere, vel sperare? sed & pro his, de quibus accusatur, quæ major exigi pœna? Quæ tametsi bono, ut apparet, animo dicta essent, nihilominus Christo magnæ confusionis causa fuerunt, sic proponi populo, in quo & inimici ejus fuerunt, & amici forsitan etiam, præsertim sanctissima Mater, à qua credibile est, eum nunc primò conspectum; quanto ejus & Filii propter ipsam dolore, quis dicat? dissimulabat eam tamen, oculis consuetâ modestiâ demissis, imperturbata serenitate vultûs, admirabili cum patientia & mansuetudine. Quæ omnia confirmabant Pilatum in persuasionem ejus innocentia, ut etiam infensissimum quemque ad pietatem flecti posse censeret.

II. Habent hinc animæ, in quo se occupent, & unde hauriant magna bona. Quidam huc referunt illa Cantici: *Egredimini & videte filia Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die letitia cordis ejus*. Quia Synagoga, è qua natus est, has ei spinas imposuit; ipse verò immemor crudelitatis, quæ erga se usa est, contentus qualicumque coronâ cum lætitia sui cordis celebravit hunc diem, quo patiendo & moriendo sibi emit sanguine suo animas, ac desponsavit unione chari-

charitatis perpetuæ; dotans eas regno æterno, & apertis thesauris divitiarum suarum, celebravit hoc nuptiale Festum, omnibus sine discrimine & mensura offerens è suis bonis, quantum quisque vellet. Intuentes hunc sponsam animæ, captæ ejus amore, inveniunt quidquid desiderare possunt in hac vita, quæ nec lingua dicere, neque oculus videre, neque mens concipere, sed solus amor potest sentire ex parte.

III. Alii præclaros sensus inveniunt in his verbis: Ecce homo: quæ licet Pilatus protulerit animo Dominum liberandi à morte; pii tamen accipiunt ea, velut ex ore Patris æterni, qui exhibens humano generi Unigenitum suum ita exceptum pro nobis, dicat: Ecce homo, de quo dixeram: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Ecce, in hoc tibi do Patrem, Amicum, Socium, Pastorem, Pascua, Viam, Veritatem & Vitam: quidquid habeo, hoc tu potes sperare. Ideo tibi remittam, te recipiam, te donabo gloriâ meâ. Dilata homo, cor tuum: noli esse parcus, qui tibi dat hunc hominem, filium suum, quid poterit tibi negare? *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Aspice, ô peccator! hunc hominem, & da mihi rationem, cur me non ames, non mihi servias, & quo te excuses, ne damneris? Par esset, ut tu creatura mea incipias amare me, & obliges me ad amandum te: sed quia incuriam tuam vides, aspice hunc hominem, & diligenter considera, quid amore tui fecerim, ut lucrarer te. Non pereas, peccator, cum tali Redemptore, quem tibi do: amplectere illum, juxta illum tua institue, & quoties libet, mihi eum offer pro te, cum amore & fide: propter illum nihil tibi negabo, quod necessarium erit.

IV. Accipiunt eadem verba, velut ab ipso Christo dicente: *Ecce homo.* Aspice me, & vide, quid velis: dilata desideria tua, quia pro te sum apertus, & affluo lachrimis. *Tua sunt ista tormenta: tuus hic sanguis; tua hæc persona, & hæc vita. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos.* Intra per has plagas, & collige tibi bona, quæ reperies in isto corde. Conspice te in hoc speculo: agnosce malitiam tuam, & vide-

Ioan. 5. 7. bis, quos mihi dolores attulerit, & allatura sit tibi. Jam non potes dicere in ulla necessitate tua: *Hominem non habeo.* Ecce me! non me fugias. Quid potui facere pro te, quod non fecerim? Si vis amplius, pete, faciam, etiamsi non me velis in cruce: considera me à capite usque ad calcem, & videbis, quòd totus sim tuus, occupatus tuo servitio. *IESVS cupit esse nos-ter.* Quid habes magis tuum quàm me? Quis meliùs veritatem te docet? quis magis amat? quis plus tibi servit? in quo certiores habes amicitiam? cur igitur me asperraris, & dimittis meam suavem conversationem propter tuas voluptates & peccata? ò homo, jam hìc me habes: cave ne perdas me ac te; quia nusquam alibi reperies, quidquid necessarium tibi erit, nisi in me.

Psal. 2. 9. V. Potest etiam quis hæc verba dicere Christo de seipso; Ecce homo, ecce peccator, pro quo hæc pateris. Ecce homo, qui nihil servat eorum, quæ tibi promittit. *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prevaluit in vanitate sua:* ideo sum tam miserabilis in tuo conspectu, sicut vides. Et sic licebit his verbis uti coram Domino, se accusando, offerendo, devovendo in ejus amorem & obsequia. Multum enim valet apud Deum bonum desiderium continuatum, & sæpius repetitum: & expedit consuescere, ut, quoties Deo te sistis, valde humiliaris, & confundaris in ejus præsentia, & quidquid consideraveris, convertas in humiliatiònem propriam: quæ est via securior ad meliorem cognitionem Dei, & accipiendam gratiam, quæ fuerit necessaria.

E X E R C I T I U M

De Regno Christi.

I.

Silentium Domini irriter opprobria. Omnis igitur humana pietas erga te, mi bone Jesu, exaruit? quæ res, etiam rationis expertis non tangitur compassione; si videat aliquem laceratum sicut te? tibi soli induruerunt humana viscera: non verentur conspuere sanctissimam faciem tuam, percutere genas, ludificari te pro stulto, & ut fictitium Regem armare te cannâ & purpurâ; per sarcasum adorare te, clamore, saltu, gestibus deridentes, & eadem arundine percutientes caput spinis

spinis confixum. Convocant omnes ad vexandum te, Deus meus; & tu files, quasi esses lumbricus: absque resistantiâ nihil respondes, sed ardes amore ac desiderio patiendi pro me; nec ullus est, qui condoleat tibi, ô amor animæ meæ, ô vita vitæ meæ! O Jesu! quando cessabunt injuriæ? quando saturabuntur hi contumeliosi; & tu, bonum animæ meæ, doloribus quando saturabere?

II. Ego, mi bone Jesu! te adoro, te laudo, te glorifico, & infinitas tibi gratias ago, pro omni amore, quem mihi ostendis; pro omni dolore, quem pateris. Dicant & faciant, quod volunthi, qui facere non possunt, ne sis verus Rex cæli & terræ. Iisdem verbis, quibus te irrident, ego te adoro; quia firmiter credo, quod ipsi derident: Ave Rex Judæorum! Ave Rex cæli & terræ! Ave Rex animarum! Tu es Deus meus, Dominus meus, Rex meus, qui das veram salutem. Tibi soli, Domine, verè convenit hoc nomen Regis: quia tu solus regis legibus perfectæ justitiæ, quæ convertunt animas; & gubernas cum pace, cum amore, cum divina sapientia. O si adveniret mihi regnum tuum! si regnares in anima mea, Deus meus! dicerem cum Propheta: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ me collocavit, Ps. 22. 1. 2* alens cibo cælesti. Aquâ vitali ac dulcissimâ reficit me, quæ animam meam convertit, ac ducit me super semitas justitiæ, propter bonitatem & sanctum nomen suum. Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, sceptrum tuum, quo regor, & baculus tuus, quo nitor, & cum amore castigor, consolantur me. Parata est mihi mensa in domo tua, è qua vivo, & robur accipio contra omnes ærumnas. Impinguas me oleo copiosæ gratiæ tuæ, & inebrias me vino suavitatis & Charitatis, quod spiritus mihi facit, & erigit animum meum: & misericordia tua per omnem vitam comitatur ac sequitur me: quò fit, ut habitare velim semper in domo tua, & vivere in obsequiis tuis: non cupio alium Regem, aut alium Dominum: sed unum te volo, quantumvis despectum, præ omnibus Regibus terræ cum gloria sua.

III. Sed, ô mi Rex ac Domine! tuum est, non minùs recipere cum misericordia eos, qui cum poenitentia revertuntur ad te, quam ex justitia punire illos, qui sua peccata non agnoscunt. *Detestatio mal. im-pensa vita*

Ego, Deus meus, agnosco mea; & ad tuos pedes prostratus, committo me tuæ clementiæ, confitendo me nequiores servum, digniorem plagis, & indigniorem gratiâ tuâ, quàm sit vel fuerit ullus è filiis Adæ: quia infinities te deserui, & me subdixi tuo servitio, ac tanquam perfidus alios dominos animæ meæ admisi, superbiam, vanitatem, amorem proprium, delectationes terrenas: & quotquot peccata feci, tot regibus, imò tyrannis me subjeci, leges eorum sequendo, tuâ contemptâ. Amisi te supremum Dominum: deserui te, amor animæ meæ: tergum tibi obverti, dulcissime Jesu, & cucurri post illos. Hucusque possederunt cor meum, & per consuetudinem, quâ sunt usi, conantur semper regnare in illo. Illi me detinent procul à te, Vita mea, & faciunt, ut gravis videatur mihi lex tua, cui hæcenus cum desiderio, voluptate, cogitatione servivi pro viribus, tempus & vitam illi impendens, prout mihi dabat gratia tua. Sed illi me induxerunt in hanc pauperiem, in qua me vides, Domine! illi me turbârunt, everterunt, spoliaverunt, excacârunt, exuerunt omnibus bonis. Et quod magis doleo, Dominus meus ac Deus meus! est consuetudo parendi nutibus illorum, & importunissimæ sollicitationi. Licet enim videam illos tendere ad meum interitum; sic tamen ad illos me propensum inveni, ut eos averfari non possim; quin ita mihi occupant animum & memoriam, ut non semper possim eos vincere, sed non rarò succumbam. Ipsi consuetudine sua me obscurant, ut puritatem legis tuæ satis videre non possim: ipsi me refrigerant, ut non impleam illam cum fervore: me premunt, ut grave putem onus tuum, neque tuâ conversatione delecter. O potentissime & piissime Rex animæ meæ! miserere mei, & abige istos tyrannos. Recipe possessionem hujus animæ tuæ, quam ego corrumpi. Recupera eam, Deus meus! da legem errantibus, qui desiderant redire in viam. Da mihi legem, Deus meus, & gratiam, ut eam observem.

*Regi nostro
anima fo-
litum est.*

IV. O quando videbo me possideri à te solo, qui es verus Rex ac Dominus meus! quando venies ad regnandum in hac anima, ut obediam tibi sine repugnantia? quando odio habebomnes, qui hæcenus regnârunt in ea? Per istas ignominias, per hos dolores

dolores peto misericordiam, ut solus regnes in me, solus me possideas, solus colaris ut verus Rex ac Dominus animæ meæ. Quis est enim Rex similis tibi? tu es Rex; cujus majestas non absterret, sed attrahit animas. Sceptrum tuum non incutit metum, sed omnes invitat ad te quærendum & amandum. Non sine ratione pro sceptro tibi dant arundinem, licet eam ipsi non intelligant; quia de te scriptum est, quòd arundinem quassatam non confringas, sed potiùs restaures. Nam in tua manu, Deus meus, ii sanantur, qui extra eam perirent; ac defenduntur, qui extra eam destruerentur: quia tu es Rex simul omnipotens, & amantissimus Pater; & gaudes benefacere his, qui tuæ se dexteræ commiserunt. Neque tu es Rex, quales ceteri, quorum favor apud alios creat *Perf. Etiori* invidiam; quia non possunt se multis impertiri, cum, quod uni tri- *modo suis* buunt, aliis decedat. Tu Domine talis non es; quia totum te largi- *favet,* ris non omnibus tantum, sed etiam singulis: *quàm alii* Sic curas unumquemq; *Reges.* nostrum, ait S. Augustinus, *Conf. l. 3. c.* tanquam solum cures; & sic omnes, *11.* tanquam singulos. Tu non divideris, non minueris: omnibus potes plurimum favere, & singulos infinitum diligere: cui tu faves, est humilis & pauper spiritu, mitis, plangit sua delicta, dat eleemosynas, desiderio tui tenetur, ardet amore tui, atque hinc tantò magis cuique faves, quantò magis te amaverit. Nulla est in domo tua nobilitas aut ignobilitas, nulla inæqualitas, nulla personarum acceptio: tam nobilis erit quisque, tam grandis, tam honoratus, tam charus & acceptus tibi, quantum te amaverit. Ut primùm tibi se conjungit amore, subito acceptus, magnus & potens est; habet quidquid vult ac desiderat: quia bona tua non minuuntur inter multos dispersa. O si te amarem toto corde, Deus meus! ô si te quærerem totis viribus! complectere me tu, Amor divine; transforma me in te, & trahe me in te, & trahe me ad te. Quia verò jam plus non possum, cum David Propheta tuas laudes cantabo: *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psal- psal 145. 2.* lam DEO meo, quamdiu fuero.

Laudo & adoro, Deus meus, regnum tuum. Illi me subjicio. *Melius est* Te desidero, tibi offero omnia: fac me, quidquid voles. *ab aliis.* Malo castigari & tribulari in manu tua, quàm foveri à mundo. *Recipebulari,* me,

quàm à
mundo fo-
veri.

me, Deus meus, per amorem tuum: rege me, protege me, castiga me, solare me, dita me teipso, & amore tuo semper inflamma me.

O Regina Angelorum! quæ plena es gratiâ hujus Domini: reple me gratia ejus. Ad te venio supplex, ut me illi tradas in servum perpetuum, & sua divina Majestas me recipiat pro suo in æternum, nec me amplius è manu sua dimittat. O Cives Regni & Palatini hujus veri Regis, qui semper ejus amore capti tenemini; accipite me in societatem captivitatis istius: quid me fiet extra societatem vestram? Ergo juvate me, ut sim servus fidelis ac perpetuus hujus Domini, quem vos videtis, quem vos amatis, quem semper, semper adoratis.

EXERCITIUM

Circa verba, ECCE HOMO.

Pilatus stu-
det populo
falsam de
Christo opi-
nionem tol-
lere.

EXPECTA, anima mea, Dominum tuum, quem producant fo-
ras in conspectum omnium, ut eum videas & adores. O
Deus meus, Rex ac Dominus animæ meæ, quis te ita tractavit?
ô pulchritudo cæli, manibus ligatis, veste ludicrâ, coronâ spineâ
in capite undique stillante sanguinem, totus una viva plaga,
evulsis capillis, vultu fœdato, cruento, cum canna in manu per
Iudibrium, ignominiosè produceris in conspectum tuorum &
hostium, & amicorum, ipso Pilato eos irridente, quòd talem
regni affectati incusent, cùm dicit: Ecce homo. Ecce potentiam
ejus, quem vocatis Regem! potestne talis homo Rex esse? ô mi
Salvator! quæ fuit hîc tua confusio, qui cùm ante paucos dies
in omnium oculis admirabilis eras propter opera & doctrinam
tuam, nunc ab iisdem conspiceris ita crudelem in modum tra-
ctatus? quis sensus ac dolor tuus hîc fuit, ô bonum & gloria
animæ meæ? gloria mea, felicitas mea, Jesu mi! adoro te, lau-
do, & glorifico, quantum possum. Imprime hanc miserabilem
& ignominiosam figuram huic duro cordi: emolli illud præsen-
tiâ tuâ, & fac ut sentiat, quod videt in te. Rape me totum in amo-
rem tui; quia mei amore video te tractatum his modis. Captiva,
Domine, bonum animæ meæ! hanc animam pulchritudine flam-
mæ, quæ ardet in te sic lacerato & despecto. Procedis tam tacitur-
nus,

rus, tam humilis, tam modestus, ut ex omni parte prorumpant flammæ divini amoris. Veniant ad me quoque hæ flammæ, Deus meus: urant me, consumant me totum in te, & propter te.

II. O pulcherrime, ô dulcissime, ô ditissime, ô amabilissime, ô suavissime Agnelle! cur ita vis conspici, nisi ut rapias animas ad unionem tui? Ergo, spes mea & vita mea, rape & meam animam, quia tuus amor habet bene, quo monstratur in ea. Hic, ô afflicte, contempe, & convulnerate JESU! me conjicio ad pedes tuos, ac totum offero tibi. Licet non merear, aspice me oculis misericordiæ tuæ: confido, quòd me sis acceptaturus. Propter me sic adstas: propter me spargis hunc sanguinem: propter me totum est, quod in te video. Unico saltem oculi conjectu aspice teipsum, bone JESU, & fac id, quod hic sanguis, hi dolores, hic habitus à te flagitat.

III. Adverte & considera bene, anima mea, quòd Pilatus non intelligat verba, quæ dicit. Verba sunt Patris æterni, per os ejus dicta ad te: Ecce homo, qui non est minùs amicus tuus quàm Filius meus: ut amicus, est tibi similis; ut Filius, à me accepit infinitam substantiam, ac proinde amat te infinito ac divino amore. Hic est Filius meus dilectus, quem tibi do, & quidem in formâ, quâ vides. Quid amplius petis à me? quid amplius possum pro te facere? accipe eum, audi eum, ama eum, & stude illum imitari. In te do tibi omnia bona mea: do remedium omnium necessita-
Pater æternus in Filio
 n. bis omnia
 adst.
 tum, levamen omnium ærumnarum, solatium omnium miseriarum, solutionem omnium debitorum, mediatorem omnium petitionum, thesaurum omnium, quæ potes desiderare: & quia in ipso reperire potes omnia, quæ habeo, quibus indiges, totum tibi do, & volo esse tuum. Vide, miser homo, quomodo te diligam; quia propter te non parco proprio Filio meo. Vide bene, quantum debeas mihi: neque aliud volo, quàm ut in omnibus ei servias, eum ames & imiteris.

IV. Infinitas tibi gratias ago Pater æterne, pro hac infinita charitate, quam mihi ostendis. Scio, Domine, quòd pro his omnibus sis contentus me solo. Sed quis ego sum, ut velis me respicere & implere tantis bonis, cum semper improbus fuerim,
 M m m perfidus

perfidus & peccator? quia verò infinitus amor tuus donat mihi hunc thesaurum, accipio eum à tua manu paterna: sum eo contentus, & eundem offero tibi pro omnibus malis, quæ reperiuntur in me. Recordare, Pater æterne, quòd olim per Ezechielem sis conquestus: *Te quasivisse virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra te pro terra, ne dissipares eam; nec invenisse.* Ecce homo, Domine! ecce virum juxta cor tuum, qui pro nobis accipit hæc vulnera: & quia in eo tibi bene complacuit, aspice eum, & suscipe me per eum & cum eo. Offero illum tibi cum toto suo sanguine, cum tormentis & meritis; cum illo, & in illo tibi me mancipio in perpetuum. Per illum dimittes mihi peccata mea, & corroborabis infirmitatem meam: per illum illuminabis tenebras & ignorantiam meam, sanabis ulcera, accendes tepiditatem meam, & pro tuo me semper habebis. Non frustra sit, Deus meus, pretiosus hic sanguis: quia extra hunc Dominum perii, & in eo solo vivo securus.

V. Etiam Filius DEI, licet ore taceat, sanguine tamen suo, totaque specie suâ miserabili tibi dicit: Ecce homo. Jam non potes, ô anima, dicere cum Paralytico: *Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, ut saner;* Ecce me! ego sum homo, ipse factus totus piscina sanguinis, pro tuo remedio sine tuo merito, sine petitione, totum hoc feci pro te: & ulterius, etiam in cruce moriar tui amore. Quo vadis, quando non venis ad me? Quid quæris, quando non quæris me? Quid amas, quando non amas me? Quos amicos invenies mei similes? Quis pater, quis frater pro te faciet, quod ego facio? Vide, ut majorem rationem habuerim tuæ salutis, tuæ vitæ, tui commodi, quam proprii honoris & vitæ. Veni, veni ad me, & ego tibi propitius ero, te complectar, te implebo bonis amoris ac felicitatis æternæ.

VI. O mi bone JESU, vere amice animæ meæ! qui te semper amâsset! qui nunquam offendisset, nunquam recessisset à te! Talis es tu, & ego sum ille homo, qui te, cum meus esses, contempsi, à me repuli, nec amorem, nec spem meam in te collocavi, sed in vanitatibus; & amavi, quæ tu odisti. Sed, ô suavissime Jesu! quomodo

*Affectuosa
invitatio
Christi ad
se.
Joan. 5. 7.*

quomodo possum diffidere his visceribus amoris, & huic tantæ misericordiæ? ô supreme Domine, & omne Bonum animæ meæ! ecce hominem, pro quo factus es homo: ecce hunc miserabilem, pro quo tanta passus es: amor, qui te fecit tanta præstare pro me, Domine, nondum est finitus: adhuc ardet in te, ut semper. Ergo Domine Deus animæ meæ, per eum tibi supplico, ut ignoscas mihi errores præteritos, & me facias alium, ac transformes in te. Offero tibi animam, corpus, vires, honorem, vitam, & quidquid ^{Hic omnia} accepi à te: mitto quoque in manus tuas mea peccata, meas miseria, ^{nostra offerenda.} meas necessitates. Fac tu in omnibus, & per omnia, quod postulant hæc vulnera tua. Ego sum tam miser, ac cæcus, ut non intelligam, quid mihi expediat; multò minùs id sciam petere. Dic tu, dulcissime JESU! dic tu pro me bona ingentia, quæ mihi promeruisti, & ea, quæ pro me fecisti: nam ego aliud facere non possum, quàm ut me offeram tibi, ac tradam totum tibi, Deus meus, Salvator meus, amor meus, & verissimus amicus!

O sanctissima DEI Mater! cùm in hac hora videres unicum Filium tuum, velut mansuetum Agnum inter lupos, ita immanibus & crudelibus modis tractatum; viscera tua transfixa fuerunt immensis & acerbissimis doloribus. Per eosdem dolores tuos, & Unigeniti tui rogo, ut nunquam recedant à corde meo hæc viscera tua & filii; & ut me mutes totum in hominem novum, meque recipias in servum illius ac tuum. O Angeli ac cives curiæ cælestis! quos amor hujus Domini, suo sanguine ac meritis ita dives & gloriosos effecit, exemptos ab omni nostra miseria, miseremini hujus pauperis exulis, destituti omnibus bonis; & impetrate mihi vestra intercessione, ut ab hac hora in perpetuum servitiis & amore respondeam omnibus, quæ me docet hic Dominus.

Amen,

